

gislelatio, hoc imperium Spiritus indigitatur. De necessariis autem ita disserit aureum laudati Patris os; *Hæc nova lex non precipit. Nusquam enim de his differit Christus, sed a lege hæc sumunt;* scilicet, ut aliqua parte faverent Judæis. Etiam si igitur in onere ipso nolent gratificari, gratificabantur tamen in aliquibus ex onere petitis, ceu ad tempus necessariis. Nec usquam alibi Chrysostronus deprehenditur fuisse in sententia abstinendi necessario a sanguine, ubi commodum necessarium fuisset eam manifestare suo auditori. Videatur tantum *Homil. XX. in 1. ad Corinth.*, ubi ab idolothytis abstinendum docet, ob fratris imbecillitatem, non ob necessitatem præcepti Apostolici; quo autem loco habuit idolothyta, eodem ipsum habuisse & sanguinis esum oportuit, quæ pari gradu in Concilio Solymitano ponuntur. Adeo Chrysostronus nil juvat placita nonnullorum illius sæculi, ut contrarium se in explicandis scripturis ostendere videatur. *Prudentius timide allegatur, Idym. cathem. III.*

*Absit enim procul illa fames
 Cadibus ut pecudum libent
 Sanguineas lacerare dapes,
 Sunt feragentibus indomitis
 Prandia de nece quadrupedum.
 Nos oleris coma, nos silaqua
 Fata legumine multimodo
 Paverit innocuis epulis.*

Quantum igitur ejus auctoritas pro damnando carnis, tantum pro sanguinis abdicando esu valebit. *Seculo VII. decurrente* canones in Trullo conditi, ceu in supplementum Concilii V. & VI. Constantinopolitani, unde Synodus ipsa *Quinisexta* audiit; Inter illos admodum commendatur LXVII. canon; qui ita habet: *Si quis ergo deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggreditur, si sit clericus, deponatur, sin autem laicus, segregetur.* Quid Zonaras in hunc canonem commentatus sit, ut observatum Nobilissimo Disquisitori, mihi lectum non est, *Baronius* Zonaram horum